UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici Doctiss. Sacrae || Theologiæ & Iuris Canonici Doctoris || celeberrimi, ac Ecclesiæ Ham-||burgensis quondàm Decani

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

Visual Library

re. Mox sequuti alij ex Thietmarsis, pugnantes primos nudauêre armis, prostratos excußis zonis, & quos spirantes reperêre contrucidant, deindè vestibus, ad extremum etiam camisijs detractis: Pauci reperti die Lunæ sequenti qui vitæ permitterentur. Hoc immanißimum crudelitatis genus: sæuiêrunt in mortuos: & quidè peditum aliquot millia contumulârunt: sed equitibus hoc negauêre. Inerant duo comites de Oldenborg, Adolphus & Otto, milites plurimi, militares sine numero: Flos ipse Holsatiæ militiæ perijt, infinito suorũ gemitu, commiseratione omnium maxima, qui nouêre humanitatem, modestiam, frugalitatem, in amicos: Cæterùm in omnes splendorem, fortitudinem, constantiam. Sed tum in luto computruêre sub sole tot splendidi equites: Facilis iactura sepulcri, ait ille: & alius: Cælo tegitur, qui non habet vrnã. Tertia hæc insignis in Thietmarsia clades Holsatorum. Prima fuit ad annum à Christo millesimum trecentesimum vicesimum secũdum, cùm Iohannes & Gerhardus comites rebus præessent: qui tum euasêre, cæsis copijs vltra duo millia. Altera ad annũ quadringentesimum quartum post mille, cùm Gerhardus primus Slesvici dux, horum principum maternus proauus, cum magna suorum manu in Hamma caderet: Et hæc tertia cæteris maior. Nam cæsorum numerum nemo satis explicat, cùm Thietmarsi illum fuisse maximum contendũt, alij negant, ad pauca millia redigentes. Sed sua cuique domus monstrat quanti perierint.

CAPVT XXVII.

ALbertus deindè Saxoniæ dux superioris, æstate quæ proxima sequebatur, expeditionem fecit in Phrisiam, obsesso in terra filio laturus opem: Ad quem recurrêre qui cædi iam dictæ superfuêre pedites, cum multis

multis alijs, aucto semper numero nouis supplementis: Duxit ille in Phrisiam, & eo terrore cõcussit incolas, vt dimissis oppidis & omni terra, profugerent: Ignauissmæ pecudes meritæ perpetuam seruitutem, quæ pro patria nec primam sustinuêre pugnam. Albertus, soluta tum obsidione filij, oppida terræ communiuit, & in Groningen ducens, eam vrbem obsedit: actum de omnibus reputans, vbi illa vel caperetur, vel dederetur. Ex altera parte orientis oppugnauit eam Idzardus comes orientalis Phrisiæ: Leuia fiunt prælia multa: sed nihil ad deditionem. Ita se cõmeatibus & armis præmuniërant, vt omnem impetum facilè sustinerent, & tempus in autumnum extraherent: Nam est palustris & aquatica terra, quæ difficilem faceret crescentibuss aquis oppugnationem. Interuentu episcopi Traiectensis res componitur: Vbi Albertus dux iam morbo correptus vitæ suæ desperat: Nam priusquàm conditionibus totis consentiretur, ignorante parte vrbis, ipse in castris moriens defecit, princeps animo & rebus gestis egregius, qui canos suos multis bellis pro Romano Imperio fatigauit. Filius eius ad regem contendit Romanorum, patrij in eam terram gubernationem impetraturus. Interim qui fugerant Phrisij, conductis peditibus, qui pridem Alberto militabant, magna vi terram repetunt, aduersam factionem repellentes: vt est terra illa maledictioni subdita sempiternæ, semper fouens hæreditariam diuisionem: vt alij Schiring, alij Vetkoper censeantur, pertinaci odio, sine causa, sine fine, inuicèm persequentes: Quæ pertinacia etiam Hollandinos corripuit. Sed illi paulò ciuiliores, quòd mundum peragrant, leuiùs exequntuur suam sectionem. Phrisij verò, genus homi-

num inciuile, quòd rariùs alijs miscentur nationibus, suis moribus insordescunt: Sed luunt pœnas ferociæ suæ, quòd diuisi crebriùs superantur, vbi indiuisi fierent inuicti. Moriens Albertus testamento filijs commendauit causam Idzardi comitis memorati, nè vnquàm illum desererent: Sciebat Groningensium in illum implacabile odium, quòd redditi pristinæ incolumitati, arma in illum exterminandum essent conuersuri: Occupauerat autem ille priori bello oppidum Dam, quod ad mare ituris Groningensibus obuium est: idque præsidio imposito communiuit.

CAPVT XXVIII.

MIlitares terræ Groningensis adhæsêre profugi Idzardo memorato, quòd nimia seruitute premerentur ab vrbicis, non permissi panem, aut potum, in ædibus suis conficere: sed omnia ex oppido iuberentur expectari. Indè verò ad iudicium euocarentur in dictum oppidum, quotiès vel de minimare à quopiam impeterentur. A vetusta memoria, cùm inuicicèm cædibus & incendio in se desæuirent homines memorati, essentque in oppido ex militari genere, qui conciliis præsiderent cum cæteris oppidanis: complacitum tum erat communi omnium assensu, ad euertendas cædes & mutua incendia, vt de controuersiis in oppido experirentur: euocatiq; adessent, magnis pœnis constitutis, aut amissione dexteræ in criminalibus, aut prædiorum euastatione in ciuilibus. Harum rerum abusus quidam inoleuit, cùm deficerent in oppido militares, & Groningenses veteri constituto pertinaciùs inhærebant. His ex rebus orta dissensio, secreuit militares terræ ab oppido: qui sese interim bello tonante in terra comitis cõtinuêre.

Du-